



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvivas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

Covarrubias y Leyva, Diego de

Antverpiae, 1610

13 An vera sint quæ de Anastasio secundo, Romanæ ecclesiæ Pontifice
Gratianus tradit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

maiestatis iudicium confessus dixerit, quum à vulnere cava manu sanguinem hausisset, atque eum in cælum, veluti in Christum conspiciens, coniecisset, perinde atque cadis fugantem in eum referret, calamitatis auctorem intelligens, Vicisti Galilæe, vicisti, sicuti commemorat Theodoritus li. 3. cap. 25. Cassiodorus *Tripertita* li. 6. cap. 47. & Nicephorus li. 10. cap. 35. qui & illud refert, Iulianum iam moriturum, animum secedente à corpore, diuinius quodam modo quam pro hominum capto potuit, oculos intendisse ita, ut Christum viderit, & exclamasse: Saturare Nazarene. His quidem rationibus conitatur iure dictum fuisse Iulianum apostatam, quo nomine ignominiose eum appellauit Marius Chalcedonensis episcopus ex oculo suo suffusione cæcus manu à puero eoductus, ubi Constantinopoli Fortunæ in Basilica, in qua eius deæ statua collocata fuerat ipse Imperator sacrificaret, auctoribus Cassiodoro li. 6. *Tripertita*. c. 6. Socrate li. 3. c. 12. Sozomeno li. 5. c. 4. & Nicephoro li. 10. cap. 23. quibus apparet, Iulianum eidem episcopo respondisse, non tantum posse eum, quem ille coleret, Galilæum, ut cæcitate eius morderetur. Cui episcopus magna cum dicendi libertate occurrens, gratias, inquit, ago seruatori meo Deo, qui vestrum amitterem curauit, ne impurissimum vultum tuum ad impietatem declinarem conficerem. Verum & ante Iulianum Imperatorem Christianos dictos vulgo fuisse à gentilibus Galilæos, deduci poterit ex Arriano de Epicteto *lib. 7.* Nam & Christus vocatus est Galilæus Matth. c. 26. c. 73. quod frequenter verus est in Galilæa *Ioan. capit. 4.* aut propter Nazareth & Capharnaum, in quibus habitabat, *Luc. 2. c. 4.*

Secundo obseruandum erit Iulianum Cæsarem apostatam, & Parabatem, milites Christianos habuisse, qui pro imperii Romani maiestate sub eo militarunt, quos tamen dicitur ad deorum gentilium sacrificia donatiui ea de causa dato, pellicere tentauerit, ut accepto donatiui simul & tibus acciperent, idque adoleret ad ipsius Iuliani imagines ex veteri instituto, quibus Iouis Martis, & Mercurii erant insuper depictæ. Quo quidem dolo cognito penitentes milites donatiui imperatori restituerunt, & Christianismum liberissime eum martyrii affectione profitentur, quos imperator ita quidem commotus à cæde abstinens ex auctoritate ex aula imperiali exegit, cuius rei auctores sunt Sozomenus li. 5. cap. 17. Cassiodorus li. 5. *Tripertita*. cap. 30. & Nicephorus li. 10. cap. 13. Iuste vero posse Christianos milites, qui pagano principi subditi sunt, eo imperante militare, modo bellum sit iustum aut iniustum præsumatur, quod in dubio ita est accipiendum, ex eodem cap. adnotarunt illic Dominicus Præpositus Cardinalis sancti Sixti, Hugutio, & veteres quidam, quibus mire patrocinatur diuus Augustinus li. 22. contra Faustum Manichæum *capit. 75.* à Gratiano relatis in *capit. quid culpatur. 23. qu. 1.* Cuius verba hoc in loco obiter subiciam, quia penes Gratianum non plane ac sincere leguntur. Cum ergo vir iustus, si forte sub Rege homine etiam sacrolego militet, recte possit illo iubente bellare, ciuicis pacis ordinem seruans, cui, quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est, ut fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruendi. Hæc Augustinus. Ex quo & in specie idè probat Paris Puteus in *tract. de militari* li. 2. qu. 11. quo in loco tractat, an Christiani possint licite milites infideles in eorum auxilium, vel ut sub eorum vexillo, & ducatu militent, stipendio conducere, & in bellum aduersus Christianos sibi hostes aduocare. Cæterum, Christianos frequenter sub paganis imperatoribus olim militasse satis cõstat lectori ex varia veterum historiarum lectione. Nam & Christiani milites sub Marco Aurelio Antonino merentes in summa siccitate, rerumque omnium extrema inopia genibus flexis, Dei opem implorantes, hostibus fulmina, M. vero Antoni milites & exercitui pluuia precibus à Deo impetrarunt. Ex quo hostibus maxime territis, ipsis mirum in modum recreatis, bellum Marcomanicum Sarmatis, Randalis, & Quadis extinctis, Paononisque libertatis confectum est: quem admodum scripsere Tertullianus in Apologetico. c. 5. & in libro ad Scapulam. Eusebius li. 5. *eccl. hist. lib. 5.* Paulus Orosius *lib. 7. capit. 15.* & Nicephorus li. 5. *eccl. hist. lib. 5.* Paulus Orosius li. 7. cap. 15. & Nicephorus li. 4. cap. 12. Extat & ipsius M. Aurelij epistola post Iustini martyris orationem secundam pro Christianis, in qua ipsemet imperator victoriam istam precibus

Christianorum se obtinuisse fatetur. Cuius rei & profani historici nempe Iulius Capitolinus, & Dion Niceus in M. Aurelio, & ex nostris Eutropius meminit, miraculum hoc Christianorum precibus contigisse fere supprimentes. tamen si Xiphilinus idem quod Eusebius tradiderit, tribuens id legioni Melitinæ, quo nomine & ab Eusebio Christianorum legio ista vocata est ab vrbe Melitina, in qua forsitan stationem habuerat, ex Iosepho li. 9. de bello Iudaico ca. 4. cuius vrbis mentio fit à Nicephoro li. 7. cap. 7. led & is auctor in d. cap. 4. commemorat post Eusebium, hanc legionem prærogatiua quadam apud principem in exercitu obtinuisse locum, & ab Imperatore nomen *scilicet* id est, fulminatricis habuisse. eiuſdem nominis meminit idem Xiphilinus in M. Aurelio tamen consuetudine tempore Augusti ex Roma. legionibus vnam hoc idem nomen habuisse, quod Dion memorie tradit in lib. 55. existimat tamen Xiphilinus ex eo, Dionem meminisse huius legionis hoc nomine, quod iam eius ætate nomē hoc ab ipso M. Aurelio Antonino obtinisset. Sed & sub Maximiano Imperatore militauit ex Christianis Thebaorum legioni quæ à Thebi Aegyptus missa fuerat & eam Imperator in Sedunorum finibus iussit, milites exercitus diis gentilium sacrificare. hæc quidem legio à reliquo agmine discessit, ne impiis sacrificiis interresset, quod grauius tulit Imperator, ipsisque militibus constanter respondentibus, se Christianos esse, & à talibus sacrificiis religione, à qua minime sibi esset discedendum, pro heri, ira odioque in Christianos accensus, Thebaorum legionem pœnas dare iubet decimo quoque milite trucidato, quam pœnam semel & iterum Christiani, auctore Mauricio, subire maluerunt, quam imperata facere. Postremo Maximiano non ferente Christianorum constantiam, vniuersi milites à reliquo exercitu illius imperio conciduntur. Erat etenim apud Romanos vetus militaris disciplina instituta, & quoties legio aliqua, ut militum multitudo deliquisset, præter centuriones, signiferosque, reliqui decimo quoque ad supplicium forte lecto, punirentur. Quod satis deducitur ex Luitio li. 2. *de cadu* 1. Cicerone in oratione pro Aulo Cluentio, Dionysio Halicarnassæo li. 9. Plutarcho in Crasso, Sozomeno li. 5. *eccl. hist. lib. 5. cap. 9.* & Nicephoro li. 10. cap. 8. Ex quibus constat quid apud veteres auctores sit, decimare milites, ac rursus decimare populum, cuius punitionis iterum Plutarcho meminit in Marco Antonio. Poterit lector de hæc Thebaorum legione, & eius martyrio his addere, quæ scribit Wolphangus Lazius li. 5. *Roman. repub. c. 8. & li. 4. c. 8.* multa de supplicii militaribus. Etenim Cornelius Tacitus li. 3. & li. 8. Appianus Alexand. li. 2. & 3. *bellorum ciuilium* decimationis militum meminere, sicuti & centesimationis Capitolinus in Macrino, ac rursus decimationis, idem & Florentinus in quarto, ac Polybius in libello, de *castrametatione Romana.*

CAPVT XIII.

SVM M RIVM.

An vera sint quæ de Anastasio II. Romana ecclesia Pontifice Gratiano tradit.

Decimanoa distinctio capi. penultim. hæc Gratianus refert ex libro Pontificali. Anastasius secundus natione Romanus fuit tempore Theodorici Regis. Eodem tempore multi clerici se à communionem ipsius abegerunt, eo quod communicasset sine consilio Episcoporum, vel presbyterorum, & clericorum cunctæ ecclesiæ Catholice diacono Thesalonicensi nomine Phorino, qui communicauerat Acatio & quia voluit occulte reuocare Acatium, & non potuit, nutu diuino percussus est. Hæc Gratianus. Addit interpret: Quia dū assellaret, emisit intestina Sed & hæc in Anastasio secundo Platina, & Volaterranus li. 22. tradidere ex Gratiano, vel, ex libro Pontificali. Idem Gratianus hoc repetit i. qu. 1. cap. dictum. ex gestis Romanorum Pontificum.

Cæterum Albertus Pighius li. 4. de *eccl. hierarchie*, cap. 8. multam aduersus Gratianum candescit in iram, pio quidè animo, & feruentissimo in Apostolicæ sedis maiestate zelo: quippe qui omni conatu cõtendat, summos Pontifices, qui post Petrum sedem illà obtinuerunt, à labe hæresis profusus immunes fuisse. Nos missa modo facimus, quæ doctissimus ille vir de aliis Pontificibus tractat, ea etenim nunc pertractare nostri non est instituti. hunc tantum Gratiani errorem ipsum sequuti conabimur plane, ac funditus evertere, lectorem admonentes, quod non semel fecimus,

in his, quæ ad fidem historiarum pertinent, non esse omnino Gratiano credendum, imo alios auctores legèdos fore, quorū sit fides apud viros doctos in hac re diu probata & recepta. Etenim falsa esse, quæ de Anastasio Pōtifice Gratianus cōmemorat, primum ex eo cōstat, quod cum Fœlix huius nominis tertius Romanæ ecclesiæ Pontifex Acatio Constantinopolitano præfili condemnationis sententiā, qua dignitas ei abrogaretur, misisset, ipseque Acatius mente, sensuque omni captus Papæ nomen à sacro Albo exemisset, animo, & corpore vinctus, breui post communem omnibus ingressus est viam, mortemque obiit adhuc viuentem Fœlice. Quemadmodum obseruari poterit ex Euagrioli. 3. c. 18. & c. 23. & Nicephoro lib. 15. ca. 17. Atque ideo minime potuit Anastasius Acatium reuocare iam dudum rebus humanis exemptum. Siquidem Acatius vita functus est sub Fœlice, cui successit Gelasius, & huic post annos sex Anastasius idem probatur ex eiusdem Anastasij ad Anastasium Cæsarem epist. quæ prima est ex Anastasij secundi epistolis, quo in loco ipse Pontifex asseuerat, Acatium iam dudum mortem obiisse.

Deinde illud est obseruatione dignum, vt obiter adnotemus, Gratianum quandoque eos auctores, quos citat, prae intellexisse, nil in epistola ad Cæsarem, Anastasium Pontificem in patrocinium Acatij scripsisse, cum omnibus viribus conatus fuerit, tam literis, quam nuntiis, vt eius nomē, & memoria à Catholica Christi ecclesiā aboleretur. Imperatoris Acatij memoria defendēti multis rationibus ostēdens, ob graues, intollerandosque excessus, & certa facinora iustissime damnatum eum fuisse à sede Apostolica. Quod apertissime deducitur ex epistola Anastasij ad Cæsarem missa, cuius fragmentum idem Gratianus retulit in ca. secundum ecclesiæ distinct. 19. & d. cap. dictum. 1. qu. 1.

Sed & quod Gratianus in Anastasio notat, D. Augustinus sepiissime tractat vt primum, orthodoxum & Catholicum. Nec enim sacramentum aut baptismi, aut ordinis, nec ius dandi sacramenta quo ad characterem amittit hæreticus, aut schismaticus. Ideo nō licet à Catholico sacramentum vel baptismi, vel ordinis repeti, quamuis fuerit ab hæretico episcopo, vel sacerdote collatum. Qua ratione correcto hæreticis vel schismaticis vitio, non est baptismus vel ordo repetendus. Quemadmodum obtentum ac receptum est ab Ecclesia Catholica. Præsertim erant infirma, nec irrita sacramenta, quæ fidelis & orthodoxus populus in vnione manens ecclesiæ Catholice accepit à proprio episcopo, nec hæretico, nec schismatico, sed qui ob alios excessus excommunicatus fuerat. Est igitur hæc vera & Catholica sententiā, qua probatur, non esse sacramentum ordinis Baptismi, & similia repetenda, licet data fuerint ab hæreticis & schismaticis. vbi ad ecclesiæ vnionem redierint, qui baptizati fuerunt, vel alia sacramenta ab hæreticis accepere. Quod longius tractauere glossæ & Card. S. Sixti in d. cap. secundum ecclesiæ. Alfonsi à Cast. li. de hæresib. in verb. baptismus. hæres. 5. tex. opt. in c. a quodam de conse. dist. 4. tradit S. Thom. part. 3. quæst. 67. art. 5. Thom. Waldens. de sacrament. cap. 4. 5. 6. & seq. Magist. sent. in 4. dist. 6. vbi Thom. p. 2.

Idque ita accipiendum est, vt plane verissimum sit, vbi debita baptismi forma fuerit seruata. Alioqui baptizandi sunt qui ad ecclesiā Catholicam redierint. Sic D. Augustinus in li. de hæresib. Paulianos, inquit, baptizandos esse in ecclesia Catholica Nicæno Concilio constitutum est. Extat Concilij Nicæni decretum ca. 19. ca. si quis. & cap. Paulianista. 1. qu. 1. Lex Innocent. epist. 22. cap. 5.

Ex quibus palā deprehenditur manifesta calumnia Gratiani, qui nescio cuius testimonio, ausus fuerit aduersus summum ecclesiæ persulem, eumque Catholicū constanter asseuerare, contra Fœlicis & Gelasij decreta, voluisse Anastasium ad ecclesiā reuocare impium Acatium, qui iam dudum mortem obierat, & cuius memoriam ab Ecclesia Catholica deleri in eadem epist. Cæsari persuadere conatur, manifesto iudicio. Fœlicis sententiā, quæ Acatium damnauerat, egregie laudans, tantum non propria subscriptione secutus. Eodem sane iure mera sunt commenta, quæ de punitione diuina ipse Gratianus non semel impie, ac temere videtur effutire, & quæ Barbarus interpres adiecit, ex quibus Platina & Volaterranus eandem fabulam, vt opinor mutuo accepere. Et Cardin. à Turre Cremata in summa de ecclesi. li. cap. 106.

CAPVT XIV.

In Gelasij Papæ responsum obseruationes quædam de Canonicis libris & Apocryphis.

SVMMARIA.

- 1 Canonici libri qui dicantur, & qua ratione nobis cognitum sit, eos esse canonicos.
- 2 Ecclesia non potest nouum articulum fidei constituere, nec item ipse Romanus Pontifex.
- 3 Sapientia & Ecclesiasticus canonici libri sunt, quamuis ea de re fuerit olim controversum.
- 4 Iob liber à quo fuerit scriptus, & Thobia liber, an olim fuerit canonicus.
- 5 Libri Esdræ, Hester & Iudith, an fuerint apud Hebræos canonici.
- 6 De Persarum Regibus ex Metasthene, Philone, & Gracii historiographis ad sacra Scripturæ intelligentiam.
- 7 De Machabæorum libris.
- 8 De Prophetarum libris, qui fuerint Canonici.
- 9 Ordo librorum Novi Testamenti, & de quibus apud veteres Theologos fuerit olim dubitatum.
- 10 De ecclesia Catholica, & quid hoc nomen significet.
- 11 Primatus Petri, & Ecclesiæ Romana à Gelasio ex diuino elogio deducitur.
- 12 Petri, & Pauli Apostolorum martyrium.
- 14 De quatuor Patriarcharū sedibus, & quo ordine fuerint olim commemorata.

Gelasius summus Ecclesiæ Pontifex huius nominis primus, ad eam dignitatem electus anno fermè 497. eruditissimus, & Catholicis Episcopis ad se vocatis, eorumque consultatione præuia, de recipiendis, vel non recipiendis libris tractare Romæ conatus, ea de re in sine decretū edidit, in eaque Synodo Christianam religionem profitentibus exhibuit, quo maxime scirent, quibus libris, quæ ad fidem pertinerent, probanda forent, & à quibus in his quæ de fide disputantur, esset abstinendum, Extat id decretum integrum in primo conciliorum Tomo, & apud Burchardū Vuormaticensem Episcopum lib. 3. cap. 217. tamen Gratianus eius prima parte omisa, idem 15. dist. tradiderit. Nos ad eius interpretationem, cum & ea sit admodum vtilis & necessaria, iuris diuini, & humani studiosis, prænotandum esse censes scripturas, seu libros de rebus ecclesiasticis tractantes, in tria genera distingui. Primi etenim generis libri sunt, qui Canonici censentur. Secundi generis sunt Agographi. Tertii vero Apocryphi.

Canonici libri dicuntur omnes scripturæ, quas recipit ecclesia, vt publicè legantur in adificationem fidelium, & ex quibus sumatur efficax argumentum ad probandum ea, quæ fidei sunt, & ad fidem pertinet. quibusque vti debemus ad hæreses, earumque auctores expugnandos. Sunt etenim huius generis scripturæ diuinæ quidem, quas homines quidam Deo inspirante scripserunt, imo quas Deus ipse manibus hominum scripsit, nec eis magis quam Deo earum auctori refragari licet. Has canonicas appellamus non alia ratione, quā quod fuerint hæ scripturæ ab ecclesia probatæ, & in canonē diuinarū scripturarū receptæ, siquidem ecclesia iuxta sensum, quæ statim exponemus, regula est firmissima, & cōstitutissima ad discernendū, ac diiudicandum, quæ sit scriptura canonica, auctore Augustino libro vno, contra epistolam Manichæi, quæ dicitur Fundamenti. Is enim inquit cap. 5. Ego vero Euangelio non crederem, nisi me Catholica ecclesiæ commoueret auctoritas. idem fere tradit li. 18. contra Faustum, cap. 4. quibus verbis satis docet diuus Augustinus, nullam scripturam esse authenticam, aut Canonice sine auctoritate ecclesiæ, cuius membra fuere Canonici Scriptores. Nec aliud potest quis scire, scripturas esse diuinas, aut Canonicas, quæ ex ecclesiæ, quæ traditionibus Apostolicis, magisterio spiritus sancti, eiusque lumine edocta decreuit, & professæ est. Canonicum est Euangelij Martij, qui Christum non vidit, nec tamen admisit Euangelium Nicodemi, qui Christum vidit, & audiuit, vt Ioannes capitulo tertio testatur. Atque hæc vera esse multis rationibus, & ex veteribus auctoritatibus, probare conatur, & probant Ioann. Eccius in Enchiridio, ca. 1. Driedonius de dogmatib. ecclesi. li. 1. ca. 1. & li. 4. cap. 4. ex Irenæo, & Augustino. Alfonsi à Cast. li. 1. de hæresib. cap. 5. Illud vero est in hac questione potissime obseruandum, proprie, ac simpliciter, nec Canonicā scripturam auctoritatem sumere ab ecclesia, nec ecclesiā, à Canonicis scripturis. Vtriusque etenim auctoritas est à Christo, cuius spiritu dictate sunt scripturæ, & efficax